

# CÆREMONIALIS

## EPISCOPORUM

### LIBER TERTIUS.

---

Leges, et Instituta Cæremonialia pro Provinciarum Præsibus, Gubernatoribus Prælatibus, et Apostolicis Vice-Legatis.

---

#### CAPUT PRIMUM.

Quomodo se gerere debeat Præses, aut Gubernator, seu Vice-Legatus, in primo accessu ad suam Provinciam, vel Civitatem: et quid, dum in ea permanebit, erga illarum Antistites.

1. Statim ac Præses, vel Gubernator Prælatus, venerit in Provinciam vel Civitatem temporali suæ jurisdictioni demandatam, digniorem de sua familia mittet ad Archiepiscopum, sive Episcopum, inibi residentem; adventum suum patefaciendo, simulque significando se curaturum quamprimum, ut eum solemniori, qua poterit forma, publice visitatum adeat.

2. Officio perhumaniter accepto, non immorabitur Antistes hanc Præsidis, seu Gubernatoris, publicam visitationem prævenire, invisens illum privatim amiceque sub

noctu, brevioribus indutus vestibibus nigri coloris; ac inter eundum, ut quælibet nuntii forma devitetur, sciscitari dumtaxat curabit, an domi existat: quo comperto, ascendet ad illum, qui eodem prorsus habitu erit indutus. In discessu recuset omnino familiarium atque luminum comitatum, ut privatæ visitationis assumptam methodum non excedat.

3. Præses autem, vel Gubernator, pari sub forma Archiepiscopum, seu Episcopum, continuo revisitabit, quamvis paucos post dies de hoc eodem visitationis actu sit ei publice et solemniter satisfactorus.

4. Imminente itaque publicæ visitationis die, Præses, aut Gubernator, illam Archiepiscopo, sive Episcopo, mane pro Vespere, et Vesperi pro subsequenti mane renuntiabit, et dum ad Episcopale Palatium se transferet, in limine portæ Familiars, in summitate vero scalarum Antistitem ipsum, qui aliquos etiam gradus descendet, obviam habebit. Sicque comiter exceptus ad dexteram ipsius Antistitis in audientiæ aulam introducetur. Hinc, postquam ambo in æqualibus sedibus e regione locati assidentes mutuis sese officiorum colloquiis ad libitum recreaverint, discedentem Præsidentem; aut Gubernatorem, Archiepiscopum, vel Episcopum, usque ad finem scalarum comitabitur, Familiars vero ipsius ad currum usque, non recessuri donec Præses, seu Gubernator, prorsus abierit.

5. Præmisso item nuntio, ut dictum est supra, diutius haud differet Archiepiscopus, sive Episcopus, publicam restituere visitationem Præsidi, seu Gubernatori, qui occurrendo tam per se, quam per Familiars, sedendo, et comitando adamussim ea omnia servabit, quæ idem Archiepiscopus, aut Episcopus, in ejus visitatione secum peregerat.

6. Quod si, residente jam Præsidente in Provincia, vel Gubernatore in Civitate, ad eum primo accesserit novus illius Ecclesiæ Antistes, tunc istius erit ante de adventu suo certiore reddere Præsidentem ipsum, vel Gubernatorem, qui hujusmodi recepto officio, visitabit quantocius eum non jam

private, sed enuntiata visitatione sub forma publica: et ita ab Archiepiscopo sive Episcopo subinde revisetur.

7. Advenientibus Natalitii Domini Feriis, Præses, aut Gubernator perget primus ad Archiepiscopum, sive Episcopum, ut illas ei faustas felicesque adpreceatur: nec prætereundum quidquam tunc erit ex iis, quæ de prima publica visitatione dicta sunt. Idemque præstabit Archiepiscopus, seu Episcopus, quando Præsidentem, aut Gubernatorem, hoc nomine vicissim erit prosecuturus.

8. Quamquam superius statutum sit, quod Archiepiscopus, aut Episcopus, domi ponere debeat a dextris Præsidentem, seu Gubernatorem, secus tamen extra domum servabit; quia semper et in quocumque tertio loco cum ipse tum cæteri Provinciæ Antistites dexteram supra Præsidentem, vel Gubernatorem, retinebunt.

9. Quæ hactenus pro Præsidentibus et Gubernatoribus præscripta fuere, a Vice-Legatis etiam tamerga Archiepiscopum, quam Episcopos non Cardinales in locis eorum ditioni subiectis erunt omnino adimplenda.

## CAPUT II.

**Quo habitu induti Archiepiscopi seu Episcopi, et Præsides sive Gubernatores, mutuo publicas Visitaciones exequentur.**

1. Quotiescumque Archiepiscopus, vel Episcopus, ad Præsidentem, seu Gubernatorem, diverterit, ut eum visitet in forma publica, sive ut in executionem pro prima tantum vice Litterarum Apostolicarum, Oratorium privatum in Palatio præfatorum Præsulum de novo erigendum approbet, supra talarem vestem capiet mozzettam cum rocchetto discooperto. Et domi eodem utetur habitu, dum accedentem ad se pro enuntiatis publicis visitationibus Præsidentem, seu Gubernatorem, aut Vice-Legatum, suscipiet.

2. Archiepiscopus autem utens Cruce, nullatenus illam ante se deferri permittet in consimilibus actibus.

3. Talari etiam veste, rocchetto et mantelletto amictus erit Præses, sive Gubernator, vel Vice-Legatus, publice invisens Archiepiscopum, seu Episcopum; et quando cum pro publica visitatione, aliave de causa, in publica forma advenientem excipere debet.

## CAPUT III.

**De accessu Præsidis aut Gubernatoris una cum Archiepiscopo seu Episcopo cappa induto, ad Metropolitanam vel Cathedralis Ecclesiam pro publicis solemnibus functionibus explendis.**

1. Annis solemnioribus festis diebus recurrentibus, qui in *Capite primo Libri secundi* hujus Cæremonialis enumerantur, videlicet: Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, Dedicacionis Ecclesiæ Metropolitanæ vel Cathedralis, Sancti Titularis illarum Ecclesiarum, et Patroni civitatis: vel Festivitatibus aliis extraordinariis, juxta peculiare locorum mores et circumstantias, pari cum solemnitate celebrandis; Præsidis, vel Gubernatoris, erit sub hora ab Archiepiscopo, seu Episcopo, designata, et per certum nuntium ei patefacta, una cum Magistratu se conferre intra januam Episcopi. Eo quidem tempore, et nulla prorsus interposita mora, Antistitem gradus scalæ descendentem adveniet, quem post debita urbanitatis verba vicissim expleta, ipso Magistratu præeunte, usque ad portam sive Metropolitanæ sive Cathedralis Ecclesiæ comitabitur Præses, seu Gubernator, semper ad ejus sinistrum latus incedendo.

2. Cum ambo in limine præfati ostii steterint, accipiet Archiepiscopus, sive Episcopus, aspersionem, et postquam

se lustrali aqua munierit, de illa primum porriget per contactum aspersioni ipsi Præsidi, vel Governatori: sicut ante ingressum cujuscumque alterius Ecclesiæ, aut privati Oratorii, pariter cum eo semper faciet: ac deinde Capitulum, Magistratum et circumstantem populum asperget.

## CAPUT IV.

**De adoratione Augustissimi Sacramenti, atque inde progressu ad Altare majus; ubi de loco et sella Præsidis, seu Governatoris, aut Vice-Legati: ac de recessu a Metropolitana, vel Cathedrali, sacris actionibus absolutis.**

1. Archiepiscopus, sive Episcopus, aspersione completa, eo, quo venerat, ordine, Eucharisticum Sacramentum in ejus altari adoratum simul cum Præsidi, vel Governatore, progreditur. Intra Capellam, ubi illud asservari solet, genuflectent ambo: Antistes super ligneo scabello (quod genuflexorium vocatur) ante altare commodato, panno viridi, seu violaceo pro qualitate temporum cooperto; appositis pulvinaribus superius et inferius. Præsides autem, vel Governator, in alio genuflexorio ex latere Evangelii præparato, violacei semper coloris panno, ac pulvinaribus instructo, non in æquali linea, sed per transversum locato: ac tali forma ut illud Archiepiscopi, sive Episcopi, respiciat; ad Præsidis autem, vel Governatoris, dexteram erit Magistratus directo ordine super pulvinaribus tantum genuflexus.

2. Post debitam Sacramenti venerationem, præstituto jam ordine procedetur ad altare majus: parum distans ab eo Archiepiscopus, sive Episcopus, mutuis consalutationibus sese dividet a Præsidi, vel Governatore, qui, dum ille iterum oraturus ad suum faldistorium ut in eo procumbat, accesserit, petet et ipse residentiam suam hæc sub forma comparatam.

3. Prope, et inter solium Pontificale, ac immobile consuetum scamnum pro Magistratu constituetur suppedaneum; unicus nempe ligneus gradus, in cujus planitie decens sedes Cameralis collocabitur. A tergo autem ipsius sellæ attolletur Postergale non præaltum plusquam palmorum septem aut octo, nec latum magis quam sex, quod panno coloris violacei, nulla auri argentine textura sive ornatu distincto, contegetur. Ante præfatam sedem congruum insuper apponetur genuflexorium, tapete et pulvinaribus enuntiati violacei coloris non absimiliter stratum, super quo Præsides, aut Governator queat submittere genua. Haud tamen stabilis unquam, fixaque detinebitur inibi hujusmodi residentia, sed sicut opportune apponenda, quoties Præsides vel Governator sacris erit interfuturus actionibus, ita singulis vicibus illico removenda, functionibus ipsis expeditis.

4. Quando pro Concionibus commodius audiendis, Archiepiscopo vel Episcopo discedendum erit a sua Pontificali Cathedra fixa, ut propiorem locum e conspectu suggesti comparatum adeat; tunc si pro ipso Archiepiscopo seu Episcopo solium cum umbella fuerit ibidem erectum; pariter et pro eodem Præsidi seu Governatore supradescriptum Postergale cum gradu et sella præstabitur. Si autem Baldachinum nequaquam fuerit Antistiti exhibitum, tali casu parabitur absque Postergali dumtaxat sella, alteri Antistitis prorsus uniformis ac similis.

5. Quoniam vero juxta diversas locorum consuetudines contingere potest, ut seorsum ab Archiepiscopo, aut Episcopo, vel ipso etiam astante, Præsides, seu Governator, Divinis cum Magistratu interfuturus, ad aliquam Ecclesiam a Cathedrali, seu Metropolitana, alienam divertere debeat: in hac etiam erit tunc præfata residentia pro Præsidi, vel Governatore, comparanda, modo sit in illa pariter erectus et comparatus thronus Pontificalis pro Archiepiscopo sive Episcopo; adeo ut, non erecto Pontificali solio, neque residentia unquam sit attollenda.

6. Ea tamen uti poterit Præsides, vel Governator, quoties

alicujus Thesis disceptationi, aut litterariis lusibus, consimilibusque publicis actibus tamquam præcipuus et principalis Patronus præerit, licet eo tempore nec apponendus unquam sit thronus pro Archiepiscopo, seu Episcopo.

7. Post exactas sacras functiones, quibus una cum Archiepiscopo sive Episcopo cappa induto astiterit Præses, vel Gubernator, repetendo Augustissimi Sacramenti altare pro fundendis in gratiarum actionem novis precibus ante illud, quidquid de primo accessu statutum fuit, ad unguem servabitur. Nullatenus tamen in discessu sinet Archiepiscopus, seu Episcopus, se a Præsede, vel Gubernatore, rursus perducere usque ad januam proprii Palatii, sed ab illo com meatum accipiet in limine ipsius Ecclesiæ.

## CAPUT V.

*De thure ac pace Præsidi, seu Gubernatori, aut Vice-Legato deferendis: ac insuper de loco eorum pro accipiendis candela, cineribus et palma: nec non de adoratione Crucis, Feria sexta in Parasceve.*

1. Circa thur et pacem omnimode servabitur dispositio Cæremonialis Episcoporum, et Præses, vel Gubernator, sive Vice-Legatus, nunquam erit thurificandus a Presbytero, Archiepiscopo, sive Episcopo, assistente, qui Antistitem ipsum in Vesperis Officium facientem, aut iis, vel solemnibus ab alio celebratis Missis apud solium astantem thurificavit: sed duplici ductu ipsum Præsidem, seu Gubernatorem, aut Vice-Legatum, post tres Canonicos in eodem solio assistentiam Archiepiscopo vel Episcopo exhibentes, atque una cum eo individuum corpus efformantes, solum debet incensare Minister ille, cui subinde cæteros Canonicos de choro, licet sacris indutos paramentis, inerit onus thurificandi. Et iste modus, et ordo quoad locum, et personam servabitur in delatione pacis: eam etenim Præses,

vel Gubernator, aut Vice-Legatus, recipiet ab eo, qui distributurus mox erit illam enuntiatis Canonicis in Choro existentibus.

2. Candelam in die Purificationis, et Palmam in distributione earum Præsidi, seu Gubernatori, aut Vice-Legato, dabit ipsemet Archiepiscopus, sive Episcopus, statim ac, propria recepta, alteram reddiderit digniori Canonico parato, a quo ipse suam prius receperat. Præses autem, aut Gubernator, seu Vice-Legatus, cum ascenderit ad Archiepiscopum, vel Episcopum, ut ab illo candelam, seu palmam accipiat, non genuflectet, sed stans ipsam capiet cum debitis osculis tum illius, tum manus Archiepiscopi, sive Episcopi, eam sibi porrigentis.

3. Stans pariter recipiet cineres ab Archiepiscopo, vel Episcopo, postquam hic eos imposuerit Canonico in illa die Missam cantaturo.

4. Feria sexta in Parasceve, non celebrante Episcopo, Præses, vel Gubernator, aut Vice-Legatus, ad Canonici Officium facientis sinistram inducendo ad adorandam Crucem procedet. Episcopo vero celebrante, ibit immediate post eum ante omnes Dignitates et Canonicos.

## CAPUT VI.

*De generali Communione, Feria quinta in Cœna Domini, quoad habitum, locum et ritum Præsidis, seu Gubernatoris, vel Vice-Legati.*

1. Quando Præses, aut Gubernator, vel Vice-Legatus, sit in sacro Presbyteratus, seu Diaconatus ordine constitutus, quia multum decet et convenit, ut cum aliis eo die communicet, adventante Communionis tempore, cottam superinduet rochetto, cum stolam sumere, et a collo vel ab humero sinistro pendentem etiam habere debeat. Communionem primus omnium accipiet, et manum Archiepiscopi, sive Episcopi, ante illam osculabitur.

2. Si autem neutro fuerit caractere insignitus, cunctorum primus pariter ad communicandum procedet, rocchetto et mantelletto tantummodo indutus.

## CAPUT VII.

**De mutuis reverentiis inter Ecclesiarum Antistites et Præsides, sive Governatorem, aut Vice-Legatum: deque salutatione Concionatoris erga alterutrum.**

1. Pontificalis salutatio regulariter inter sacras actiones in eo consistit, ut manu aperta singulis benedicat: nihilominus, ut a communi cæterorum Fidelium cœtu, vel filiorum spiritualium Antistiti subjectorum, distinguatur Præses, sive Governator, vel Vice-Legatus: sicut erga Canonicos servari jubet hoc Cæremoniale *Libro primo, Capite decimo octavo*; oportebit, ut Archiepiscopus, seu Episcopus, capitis inclinatione Præsides, vel Governatorem, aut Vice-Legatum, salutet, quoties ad sedem suam ascendere, seu ab illa descendere incipiet; eique Præses, sive Governator, vel Vice-Legatus, protinus bireto deposito, assurgens mutuam rependet salutationem, caput similiter inclinando.

2. Verum enim vero in hujusmodi consalutationibus exequendis regula in supracitato capite designata omnino erit attendenda, videlicet: ut, dignitate gradus minime attenda, sed præ oculis actionis modo, et commodo dumtaxatposito, reverentia semper fiat *a quo disceditur, et ultimo ei, ad quem itur*; nullo habito respectu *quis eorum sit major*. Sicque quælibet præeminentiarum et præcedentiarum discrepantia, quæ forsitan Canonicos inter et enuntiatos Præsules fuisset unquam exorta, prorsus dirimetur.

3. Quos quidem reverentiales mutuos actus omittere necesse erit in Matutinis Tenebrarum, per integram Feriam sextam in Parasceve, ac Sabbato Sancto usque ad solemnem Missam exclusive; sicut etiam in singulis Mortuo-

rum Officiis, quæ obvenire fortasse poterunt. Consentaneum quippe hoc erit legi et praxi usque adhuc servatæ, abstinendi in præfatis conventibus etiam a benedictionibus tum solemnibus, tum privatis, et Cleri inferioris, et populi circumstantis, utpote quæ sunt actus potestatis et solemnitatis, luctuosis hisce actionibus repugnantes.

4. Concionator vero salutationem hujusmodi nunquam prætermittet sive eadem Feria sexta in Parasceve sermonem de Passione, sive de laudibus alicujus Defuncti post mortualem Missam sit facturus: prout *Libro secundo, Capite xi. et xxv.*, super utroque casu decernitur; et ideo post illam primo loco debitam Episcopo, vel Archiepiscopo, speciatim versus Præsides, seu Governatorem, aut Vice-Legatum, reverentiam aliam semper faciet.

## CAPUT VIII.

**Præsidi vel Governatori in incessu variatur locus, quando Episcopus vel Archiepiscopus fuerit sacris paramentis indutus.**

1. Quod in superiori capite tertio stabilitum, fixumque fuit circa locum Præsidis, seu Governatoris, accedentis cum Episcopo, sive Archiepiscopo, ad Ecclesiam, et ab altari Augustissimi Sacramenti divertentis ad principem aram, ut scilicet ad sinistram ipsius Antistitis incederet, est solummodo intelligendum, quando Archiepiscopus, vel Episcopus, fuerit sola cappa Pontificali indutus. Nam de cætero, si sacris indumentis exornatus processerit, sive ut Deo sacrificium offerat, sive ut publicis solemnibusque supplicationibus cum pluviali intersit, ibit Præses, aut Governator, in habitu suo ordinario, hoc est mantelletto supra rocchetto, non amplius ad sinistram, sed immediate post Archiepiscopum, seu Episcopum.

## CAPUT IX.

*De Archiepiscopi sive Episcopi discessu in Ecclesiam per scalam interiorem, et privatam portam.*

1. Si ob aeris intemperiem, aut peragendarum functionum qualitatem, seu ob aliam quamcumque causam, aptiorem commodioremque adjudicaret Antistes descensum in Metropolitanam seu Cathedralē, tam obeundi gratia omnes illas sacras actiones a Cæremoniali circumscriptas, quam alias ab eo minime definitas, per scalam interiorem Palatii in ipsammet Ecclesiam porrigentem, Præsidis, aut Gubernatoris, tunc erit, præstituta sub hora una cum Magistratu ad eam accedere, et in illa Antistitem jam cappa indutum, descendentem officiosis verbis excipere, ac subinde comitari, prout supra fusius explicatum est. Quæ quidem obviatio a solo etiam Magistratu erit explenda, Præsidi, aut Gubernatore, absente.

## CAPUT X.

*Quo accedere debeat Magistratus, ut Archiepiscopo, seu Episcopo, inserviat absente Præsidi, vel Gubernatore; ac generatim de loco illius in incessu, adsit vel absit Præses, aut Gubernator.*

1. Magistratus sæcularis, quotiescumque legitimo impedimento detentus abfuerit Præses, vel Gubernator, non ad ostium Episcopi tantum, sed superius ascendere debet in aulam, seu cubiculum ab Archiepiscopo, vel Episcopo, ad hoc destinatum: atque ibi præstolari, ut eum, postquam fuerit opertus cappa, progredientem ad Ecclesiam comitetur et deducat; procedetque immediate ante illum, sit quidem præsens, aut absens Gubernator, aut Præses.

2. Quod si fuerit Archiepiscopus utens cruce, tunc Magistratus ibit immediate ante ipsam crucem. Nullus enim inter eam, et Archiepiscopum incedere debet, cum sit peculiare ipsius insigne.

## CAPUT XI.

*Quid si Archiepiscopus vel Episcopus Cardinalitia præstet dignitate?*

1. Si Archiepiscopus, sive Episcopus, non Pontificali dumtaxat refulgeat potestate, sed præter hanc Cardinalatus superemineat dignitate, quoties Eminentia Sua erit descensura in Ecclesiam, tempestive Præses, aut Gubernator, aderit in ejus aula, seu cubiculo præsignato, ut in illius obsequiis comitatuque sit, cum progredietur: et tunc præeunte omnino Magistratu, permittet Cardinalis, ipsum Præsidem, aut Gubernatorem, ad sui sinistram incedere.

2. In limine Ecclesiæ, postquam Cardinalis Episcopus, seu Archiepiscopus, lustrali se aqua signaverit, aspersionem tangendum porriget Præsidi, vel Gubernatori, qui deinde apud Augustissimi Sacramenti aram genuflectet super unico tantum pulvinari, quod ei præstabitur in terra post Eminentiam Suam in consueto genuflexorio procumbentem.

3. Postergali prorsus amoto, residentia pro ipso Præsidi, vel Gubernatore, apud altare majus relinquere poterit quoad cætera ornatus genera, prout in capite quarto describitur.

4. Si audiendi causa conciones, exegerit commoditas ut pro Cardinali alius aptetur locus sermocinaturus propinquior, Eminentia Suæ præstanda quidem erit prænobilis sedes supra ligneum gradum tapete contactum, non omisso, ut desuper dependeat Baldachinum. At Præsidi, sive Gubernatori, nil aliud quam inferior sella super nudo pavimento, et aliquantulum post illam Cardinalis locata, exhibebitur.

5. Consueta Concionatoris reverentia unice ad ipsum Cardinalem dirigetur: quod generatim, et universe ab aliis etiam, sermonem quacumque de causa habentibus, præsentem Cardinali erit inconcusse adimplendum.

6. Sacris actionibus expeditis, nisi aliter Archiepiscopo seu Episcopo Cardinali visum fuerit, et Præses, vel Gubernator, et laicus Magistratus Eminentiam Suam iterum comitabitur ad cameram usque, sive cubiculum, unde procedentem susceperant.

FINIS.